



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

8. Probatio à cunctis furtis probandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

draco, basilice, serpens innoxia per verbum veritatis & signum claritatis per Deum omnipotentem & Iesum Christum Nazarenum agnum immaculatum, de altissimis procreatum, de Spiritu sancto conceptum, ex Maria virgine, quem Gabriel archangelus adnuntiavit venturum, quem cum vidisset Iohannes, voce magna clamavit dicens: *Hic est filius Dei vivi*. Nullo modo hic dimittas communicare, neque presumat panem nec casium istum manducare qui hunc furtum illum admisit. Qui crimen nesciens est, manducet. Et qui crimen sciens est, statim tremebundus evomat. Amen.

Suggero tibi Domine Deus omnipotens aeternae Deus, qui caelos camerasti, terram fundasti, mare limitibus firmasti, & ipsum caelum fabricasti, qui magna mirabilia sol & luna super justos splendere & lucere fecisti, doctrinam ordinasti, fac Domine signum talem ut omnis mundus & omnis terra intellegant quia tu es Deus, qui facis mirabilia solus, Domine Iesu Christe fili Dei vivi. Et qui res illas furavit, & qui ex hoc consentaneus videtur, ut gula & lingua faucis suae sint constrictae & legatae. Amen. Et panem nec casium istum non possit manducare. Amen.

Conjuro tibi, homo, per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, per diem tremendi iudicii & quatuor evangelia, & per duodecim Apostolos, per duodecim

Prophetas, per viginti quatuor seniores qui cotidie in laudem Domini sunt, per illo redemptore qui pro nostra peccata manus in sancta cruce suspendere dignatus est, ut hunc furtum mixtus es aut fecisti aut consentisti aut fraudolenter bajolasti, taliter sit tibi bajulandum si de manu Domini de sua sancta gloria & virtutem, ut panem & casium istum nunquam possis manducare, nisi inflatas bucas cum spuma & gemitu & lacrymis & doloribus faucis tuae sint constrictae & oblegate. Amen.

Ista collecta desuper caput hominis conjurati.

Domine Deus omnipotens, agius, agius, agius, adstans in caelis & in terris, Domine, sanctum & admirabilem nomen tuum invocamus, nomen tuum deprecamur Domine Domine dominantium. Nomen tuum invocamus, Deus caelorum, Deus justorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus martyrum, Deus virginum, Deus omniumque sanctorum. Te invocamus, ut quicumque furtum illum fecit aut consenserit, adponatur ei creatura panis & formaticus, aut in terra vomat quam pertranscat; quia tu es Deus, & non est alius praeter te. Fac secundum magnam misericordiam tuam. Separetur ab eo spiritus diaboli. Qui conscius est, evomat. Et qui innocens est, manducet. Et qui culpabilis est, tremat, tremescat, tanquam arbor tremulet, & requiem non habeat donec te confiteatur, Pater sancte.

Incipit probatio à cunctis furtis probandis.

Ex veteri codice M.S. bibliothecae regiae.

VIII. **A**Ntequam incipias, canitur Missa de sancta Trinitate. Antiphona: Benedicte sit sancta Trinitas. Domine Iesu Christe. Agie, agie, agie. Astans in caelis, in omnibus locis dominaris, vides & regis, iudicas & disponis. Sanctum & admirabile nomen tuum invocamus. Domine dominantium, Spiritus Dei, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus caelorum, Deus justorum, Deus propitiator, Deus Apostolorum, Deus martyrum, Deus omnium sanctorum, te invocamus, ut quicumque de isto furto culpabilis est, opponatur ei panis & caseus, ut te jubente constringantur fauces illius & guttur ejus claudatur, ut qui istud furtum commisit, antea revomat quam pertranscat; ut sciat quod tu es Deus, & non est alius praeter te. Fac secundum magnam misericordiam tuam ut ab eo spiritus diaboli separetur, & proba-

tus convictus sit, qui culpabilis est tremat & tremescat tanquam folia arboris tremuli. Per constringentes angelos tuos, per sanctum Michaellem & sanctum Raphaellem, tremens appareat, & requiem non habeat donec confiteatur furtum istud. Agie, agie, agie. Te jubente liberatus est Daniel de lacu leonum, Petrus de fluctibus, Paulus de carceribus, Jonas de ventre ceti, Susana de falso crimine. Tu manifesta furtum istud sicut manifestasti Pharaonem Regem in mari. Sicut ille non pertransivit mare, sic non pertranscat gula ejus qui hoc furtum admisit creatura panis & casei. Adsit angelus sanctus Michael, & sanctus Gabriel, & sanctus Raphael. Constringant guttur illius, & claudatur, & victus appareat. Christe Iesu, praesta quod petimus. Trinitas inseparabilis manifesta. Omnipotens Deus, qui vivis & regnas per omnia secula seculorum. Amen.